

perinde est, ac de secundo efficere tertium. Tota propterea mutatio quae intervenit, quum virtus causae secundae, in actu primo proximo constituta, incipit operari, per ipsam eius operationem habetur; haec siquidem est eius actus secundus quo primus completur. Nec refert, quod operatio sit quid extrinsecum virtuti creaturae a qua procedit, id enim eo sensu veritatem habet, quod operatio creaturarum non est unum idemque cum ipsa virtute qua operantur; et hoc modo ipsa praemotio physica si daretur, et ipsa profecto quid extrinsecum foret virtuti quae per eam praemoveretur. Minime vero putari potest aliquid ei extrinsecum, quatenus foret denominatio quaedam omnino extrinseca, eo modo ex. gr. quo Deus de non create evadit creans. Nam operatio creaturae vel est immanens vel transiens. Prior intrinseca afficit virtutem a qua procedit eique physice inhaeret. Altera vero, etsi physice recipitur in exteriori materia, iuxta probabilioris sententiam quam in Philosophia Prima amplexi sumus [638], virtutem tamen unde procedit, intrinseca denominat principium effectivum; denominatio siquidem agentis in creaturis est vera relatio realis, secus ac in Creatore [*Pr. Ph.* 558, 559].

Urgebis denuo. Ratio principii operativi convenit virtuti creaturae in signo priori ad operationem. Ergo nequit causa secunda habere rationem principii operativi, sive actu fundentis suam operationem, formaliter per ipsam operationem.

Respondeo I. Si hoc argumentum aliquid probaret, minime profecto motionem praeviam evinceret quam adversarii imaginantur. In ea enim recipienda causa secunda fingitur mere passive se habere. Atqui res est manifestissima, per hoc praecise eam minime evadere principium actionum suae operationis, praesertim si haec sit vitalis, ut videtur notum ex terminis. Quocirca si quis nimis emungere vellet rationem factam, necessaria consecutione omnis veri nominis adivitas de natura derogaretur. Haec mihi sunt adeo aperta, ut non capiam, quid sibi velit Goudinuis, quum recitatum ratiunculam appellat *omnino efficacem*.

Respondeo II. *Dist. antec.* Ratio principii actu ope-

rativi convenit virtuti creaturae in signo priori ad operationem, si spectatur *res ipsa* quae est principium seu virtus, *conc.*; si spectatur *ipsa relatio* importata in nomine principii, *neg. Dist. pariter consequens*. Nequit haberi formaliter per operationem ipsa *virtus activa* cui convenit ratio principii, *conc.*; nequit haberi formaliter per operationem ipsa *relatio* importata in nomine principii, *neg.*

Ut in Philosophia Prima [606] declaratum dedimus, tria distinguere oportet seu considerare, cum unum dicitur principium alterius, nimirum rem quae procedit, rem a qua procedit, et relationem quae propterea existit inter utranque. Iam age, in creaturis, quum ratione propriae operationis evadunt principia seu causae efficientes suorum effectuum, haec relatio est praedicamentalis, cuius proximum fundamentum est ipsamet earumdem actio seu operatio [*Pr. Ph.* 555]. Quocirca, quum creatura actu agens dicitur esse principium suae operationis, considerari potest primo ipsa *virtus activa* a qua procedit operatio; et haec certe est in signo naturae priori ad ipsam operationem; ea siquidem inde dependet. Spectari potest deinde ipsa *relatio praedicamentalis* quae intercedit inter utranque, virtutem scilicet operativam et operationem inde profluentem; et haec certe est in signo posteriori ad ipsam operationem, ut relatio quaelibet praedicamentalis comparate ad fundamentum unde proxime pullulat. Tota proinde probatio recitata ex manifesta aequivoocatione procedit.

SECTIO XI.

Quae sit mens Doctoris Angelici in hac controversia.

587. *Quid proprie et qua ratione hic investigari oporteat.* — Etsi in praecedentibus non pauca nec obscura testimonia Aquinatis protulimus in confirmationem doctri-

nae traditae, non abs re erit, specialem hanc disquisitionem instituere, ut maiore in luce ponatur cohaerentia eorum quae in praesenti controversia docemus, cum mente tanti Doctoris. Incredibile siquidem dictu est, quanta cum fiducia ad eius auctoritatem in ea re adversarii confugiant, quasi mens Aquinatis in doctrina propugnanda physicae praemotiois ita aperta sit, ut nihil magis! Ut autem haec investigatio a suo scopo non deerret, quaedam in antecessum digna sunt quae notentur, nimirum ut sciatur, quid proprie sit illud quod investigandum assumimus, et qua ratione id praestare oporteat.

I. Imprimis igitur animadvertimus, nullo modo in quaestionem adduci, utrum nec ne, ex mente Angelici, creaturae omnes ad operandum *divina motione* indigeant. Nemo enim non fatetur, id esse quasi quoddam axioma in doctrina Aquinatis. Quare incassum omnino a nonnullis S. Doctoris testimonia coaervantur ad hoc ostendendum. Quaestio in eo vertitur, non ut haec motio asseratur, sed ut explicetur, et quidem ex mente S. Doctoris, modus ipse huius motionis. Praestat tamen, hic animadvertere, B. Thomam hanc motionem necessariam putasse, non tantum ut creatura operetur, verum etiam ut possit operari. *Nulla res creata, al. potest in quocumque actu prodire, nisi virtute motionis divinae.* (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 109. a. 9.*) Et paulo ante. *Quantumcumque creatura aliqui corporalis et spiritualis ponatur perfecta, non potest in suam actum procedere, nisi moveatur a Deo* (*loc. cit. a. 1.*). Qua in re adversarii secum ipsi non cohaerent, quum praemotio nem quam obtradunt, quasi ex mente B. Thomae, dicant requiri ad agere, non vero ad posse [577, IV].

II. Non minus certum est, motionem divinam ex mente S. Doctoris requisitam ad creaturae operationem, *multiplicem* esse eamque *diversam*. Patet hoc manifestissime ex his quae ex professo tradit (3. *Cont. Gent. c. 66, 67.*), ubi quinque saltem modos eosque diversos expendit quibus creaturae dicuntur agere virtute divina, Deus autem esse causa operandi omnibus operantibus. Constat enim ex constanti modo loquendi S. Doctoris, perinde esse quod

creatura dicatur a Deo moveri ad agendum, quam quando dicitur ea agere in virtute divina, vel Deus esse causa operandi in ea operante. Quocirca, ut mens S. Doctoris pateat, attente considerare oportet in *singulis* testimoniis quae de hac motione ex eius operibus proferuntur, *quo determinato sensu* ea accipiantur, num generico ex. gr. vel specifico; et si specifico, utrum de hac potius quam de illa specie motionis: secus enim valde pronum foret, incurere in fallaciam sive *accidentis*, sive *ignorationis elenchi*. Exemplo rem accipias. S. Doctor quaestionem versans, utrum voluntas a Deo moveatur ad agendum, haec habet. * Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale obiectum voluntatis quod est bonum; et sine hac generali motione, homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. * (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 9. a. 6.*) Certe B. Thomas hic loquitur de ea motione de qua agit ex professo in hoc articulo. Atqui in eo ex professo tractat de motione secundum quam Deus voluntatem movet, ut eius Creator et finis ultimus, quem admodum manifeste patet legenti: talis autem motio universim complectitur *omnes modos motionis* qui eo duplici titulo Deo attribui debent respectu voluntatis humanae, quosque idem S. Doctor aperte distinguit. Ergo hoc *generali sensu* haec motio in loc. cit. accipi debet. Esto aliud exemplum. Tractat S. Doctor (Q. Disp. *Ver. q. 22. a. 1.*) ex professo quaestionem, utrum omnia non appetant naturaliter nisi bonum. Eam elegantissime plane discursu resolvit affirmative. Resolutio porro innititur huic duplici principio. Primum ducitur ex eo quod naturalia inclinantur in finem ex inclinatione cum ipsa natura ipsis indita; unde fit ut quodammodo ipsa *vadant* et non solum *ducantur* in talem finem. Secundum ex eo, quod haec inclinatio seu natura procedit a primo motore qui est Deus, qui quum sit ipsa essentia bonitatis, nequit *inclinare* nisi in bonum. Nemo non videt *motionem* et *inclinationem* de qua hic est sermo, esse ipsissimam *creationem*, qua res singulae propriam naturam a Creatore acceperunt. Accipitur itaque *in hoc testi-*

motio verbum *motio* sensu valde specifico eoque determinato, quem scilicet ante declaravimus [584, I]. Quare idem S. Doctor. *Natura*, ait, *nihil est aliud quam ratio cuiusdam artis, scilicet divinae, qua ipsae res moventur in finem determinatum; sicut si artifex factor navis posset lignis tribuere quod ex seipsis moverentur ad navis formam inducendam.* (2. *Physic.* lect. 14.)

III. Minime hic sermo est de motione divina secundum quod *active* sumitur, quaeque propterea denotat ipsam actionem Dei quae unum idemque est cum eius substantia. Ut enim ante concessimus [572], hoc modo si consideretur, habet prioritatem verae causalitatis respectu omnium omnino quaecumque positiva sunt praeter Deum existentia. Atqui nullum dubium esse potest, quin multoties hac ratione consideretur motio divina a Doctore Angelico. Recole testimonia quae ante expendimus [I. c.]. Agimus itaque de motione divina *terminative* considerata, ut est aliquid receptum in ipsa creatura eique inexistens, quodque a divina virtute procedit, ut proxima eius causa efficiente; quare potius est sermo de ipso *motu* quo creatura a Deo moveri dicitur, quam de *actione* divina hunc motum efficiente, quaeque est ipsa divina substantia.

IV. Minime etiam in controversiam adducimus, utrum priusquam creatura de non operante simpliciter incipiat evadere actu operans, *praevia quadam applicatione ad agendum* indigeat eaque distincta a simplici creatione et conservatione, quaeque applicatio tribuatur Deo ut primo et principali agenti. De tali quippe applicatione S. Thomas non semel loquitur. At enim, si applicatio istiusmodi eo modo explicetur quo eam ante declaravimus [584, III], non propterea ad ullam physicam praemotionem, ut haec ab adversariis intelligitur, deveniendum foret, quod etiam loco citato notavimus. Id unum propterea inquirendum superest, utrum praeter hanc applicationem praeviam quam concedimus, alius applicationis modus ex mente Angelici admitti debeat, cui scilicet tria illa praedicata [575] convenient, quibus ea quae *praemotio physica* dicitur, ab adversariis quos habemus, locupletari solet.

THESIS XXXI.

Praemotionem physicam, ut aiunt, quae ex mente Bannesii creatam voluntatem ad unum praedeterminet. B. Thomas disertissime reprobavit. Quae vero a S. Doctore traditur de divina ac generali motione causarum secundarum, praeter influum divinae virtutis creaturam et conservativum, praemotionem nullam exigunt quae sit a divina cooperatione distincta.

588. *Probatio I. partis.* — Magnum certe praedeterminatio interpretationis Bannesianae creatur ex eo quod plerique omnes, qui ipsum praecesserunt et in doctrina Angelici Doctoris peritissimi habiti sunt, longissime abduerunt, ut tale praedeterminationis genus suspicarentur(1).

(1) Quid de hac re senserint discipuli B. Thomae ante Bannesii aelatem, luculenter ostendit cl. G. Schneemann in egregio opere *Contraversiarum de Divinae Gratiae etc.* quod ante laudavimus [575, nota]. Procul dubio duo praestantissimi interpretes doctrinae Aquinatis, Caietanus et Ferraricensis, tam perspicue in hoc negotio loquuntur, ut nihil magis, Caietani testimonium ante exersipimus [580, nota], Ferraricensis vero non solum indicat in causis, nisi quando, ut ipse loquitur (I. *Cont. Gent.* c. 67. §. Alter etiam...) cognoscitur (causa) usque ad productionem effectus inclusive quod non impeditur; quae sententia falsa est omnino in doctrina divinarum decretorum praedeterminantium: sed haec praeterea addit in rem nostram opportunissima. * Dicitur aliquid agi ad aliquid, quando ad aliquid agendum ab alio movetur. Et siquidem actio illi determinatur ab altero omnino, ita quod ipsum non sit indifferens ad agendum; sed agat praecise secundum inclinationem sibi ab altero ad unum determinatam, sic dicitur simpliciter agi, sicut bruta dicuntur agi in quantum sunt eis operatione a natura determinatae ad unum; si autem actio non determinatur sibi ab altero, sed sic quidem movetur ab altero sive inclinatur ad agendum, quod tamen in potestate sua sit agere et non agere, sive

Ceterum praestat, rem pendere ex ipsa consideratione operum Aquinatis. E multis testimoniis quae afferri queunt, quaedam tantum afferimus et ad sequentia capita revocamus.

I. In doctrina praedeterminantium, humana voluntas in signo naturae priori ad liberum exercitium suae libertatis a solo Deo movetur irresistibiliter ad actionem eamque determinatam, quae tamen actio in sententia adversariorum, non obstante tali motione, foret libera. Atqui hoc contradicit in terminis doctrinae Aquinatis. * Iudicium, quasi in potestate eorum constitutum sit, eligere hanc actionem vel illam, unde et dominium sui actus habere dicuntur. *Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis quorum actiones non*

agere hoc modo aut illo, tale dicitur agi non simpliciter, sed secundum quid, quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad unum, sed ipsum se determinat; sed tamen aequaliter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic Spiritus Sanctus nos ad agendum inclinatur, quod libere tamen operamur et ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra potestate sequi aut non sequi Spiritus Sancti inclinationem et motionem, ideo dicitur ab ipso agi non simpliciter, sed secundum quid: propter hoc dixit S. Thomas, quod per Spiritum Sanctum quodammodo agimur, ut praecipit Dei impemus. (4. Cont. Gent. c. 22. Edit. Rom. an. 1570.) Audiatur etiam, quo pacto praestantissimus iste interpres B. Thomae exponat prioritatem divinae motionis respectu operationum creaturarum. Postquam dicitur secunda secundum modum ipsius causae secundae: quod, ut ipse agit in quantum ad effectum, intelligitur, in quantum actio primi agentis mediatis causis secundis ad effectum terminatur: sequenti modo exponit subordinationem in agendo causae secundae ad causam primam. * Causa prima producens effectum mediante causa secunda non in aliqua priori determinatione attingit effectum, in qua non attingatur a causa secunda, licet dicitur prius agere, in quantum secunda non agit nisi virtute primae: unde non oportet, ut effectus in aliquo priori instanti habeat necessitatem a causa prima, sed simul productus a causa necessaria et contingente, propter causae secundae contingentiam et ipse contingentiam habet. (1. Cont. Gent. c. 67.)

determinatur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus... Ea quae dicuntur de Deo et creaturis, ut in 1. lib. dictum est, semper eminentius in ipso inveniuntur: et ideo electio salvatur in Deo hoc modo, quod abiciatur id quod imperfectionis est, referente eo quod ad perfectionem pertinet. Quod enim post inquisitionem consilii electio fiat, hoc imperfectionis est, et accidit libero arbitrio, prout est in natura ignorante: unde secundum hoc in Deo non salvatur: sed quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a se ipso; unde ipse verissime sui operis dominus est, et propter hoc etiam in littera dicitur, quod liberum arbitrium aliter in Deo quam in aliis invenitur... Dicendum quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum conditionem eius conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agit; sed tamen determinatio rationis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur. (2. Dist. 25. q. un. a. 1. corp. et ad 1, et 2.) In recitato testimonio manifeste B. Thomas declarat, quid sit de ratione liberi arbitrii, *universae ac generaliter*, prout scilicet invenitur sive in Deo sive in creaturis; et *secundum quod eius modus agendi distinguitur a modo agendi rerum naturalium*: id vero, ex mente S. Doctoris, in eo est, ut voluntas quae libero arbitrio dicitur operari, agat non determinata ab alio sed a seipsa duntaxat. Hoc praeterea discernim causarum naturalium a liberis derivat Angelicus ex maiore vel minore propinquitate creaturarum ad Deum. * Quanto aliqua natura, inquit, est Deo propinquior, tanto expressior in ea divinae dignitatis similitudo invenitur. Hoc autem ad divinam dignitatem pertinet, ut omnia moveat et inclinet et dirigat, ipse a nullo alio motus vel inclinatus vel directus. Unde, quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est seipsam inclinare... Natura igitur insensibilis, quae ratione suae materialitatis est maxime a Deo remota, inclinatur quidem in aliquem finem, non tamen

est in ea aliquid inclinans, sed solummodo inclinationis principium, ut ex praedictis art. 1. huius quaestionis patet. Natura autem sensitiva, ut Deo propinquior, in se habet aliquid inclinans, scilicet appetibile apprehensum; sed tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis quod inclinatur, sed est ei aliunde determinata. Sed natura rationalis, quae est Deo vicinissima, non solum habet inclinationem in aliquid, sicut habent inanimata; nec solum movens hanc inclinationem quasi aliunde eis determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari; et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a se ipsa. (Qq. Disp. Ver. q. 22. a. 4.)

II. Ex doctrina praedeterminatorum, humana voluntas, tametsi physice et irresistibiliter praedeterminatur ad ponendum actum moraliter malum, ei tamen imputatur malitia, ut auctori, atque ita culpabilis evadit. Atqui hoc etiam aperte contradicit doctrinae Aquinatis. * Dicendum, aut, quod nihil imputatur alicui in peccatum et culpam, nisi illud cuius causa ipse est; quia non laudamur neque vituperamur, nisi ex actibus nostris. Ea vero quorum causa non sumus; per actum nostrum non sunt. Unde, quum voluntas dupliciter dicatur, scilicet voluntas potentiae et voluntas actus; voluntas potentiae, quum a nobis non sit sed a Deo, in nobis non potest esse peccatum, sed actus eius qui a nobis est. Sed sciendum est, quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter. Uno modo, tam secundum substantiam actus, quam secundum determinationem agentis ad actum; et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate; ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo qui agenti talem naturam dedit per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideo propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur: unde

si aliquis defectus sit in actu eius, ipsi voluntati in culpam et peccatum imputatur. (2. Dist. 29. q. 1. a. 1.) Et paulo inferius, * Ratio culpae, ait, in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati convenit. (loc. cit. ad 2^m.) Ex quo S. Doctor deducit aliquid valde notandum in rem praesentem. Plerumque enim contingit, ut quis disponatur ad peccandum ex pravo aliquo habitu contracto vel ex passione qua dicitur. Sed qua de causa, ex mente Angelici, culpatur quisquam, si huic dispositioni obsecundet? Audiatur ipse. * Aliter, ait, movetur ad aliquid voluntas irati et voluntas quieti, quia non idem est conveniens utrique; sicut etiam aliter acceptatur cibus a sano et aegro. Si ergo dispositio per quam alicui videtur aliquid bonum et conveniens, fuerit naturalis et non subiacens voluntati, ex necessitate naturali voluntas praelegit illud, sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, vivere, et intelligere. Si autem sit talis dispositio quae non sit naturalis, sed subiacens voluntati, puta cum aliquid disponitur per habitum vel passionem ad hoc quod sibi videatur aliquid vel bonum vel malum in hoc particulari, non ex necessitate movetur voluntas: quia poterit hanc dispositionem renovare, ut sibi non videatur aliquid sic; ut scilicet quum aliquis quietus in se iram, ut non iudicet de aliquo tanquam iratus. (Qq. Disp. De Malo, q. 6. a. un.) Quum itaque praedeterminatio physica sit talis dispositio (1), ut nec a voluntate

(1) Consulto vocavi *dispositionem* hunc motum praedeterminationis quem adversarii fingunt. Nam *dispositio*, ait S. Thomas, ad aliquid dicitur id, per quod aliquid movetur in illud consequendum. (Qq. Disp. De virtutibus in communi, a. 1. ad 8.) Omnis porro dispositio reducitur ad genus causae quam disponit. Docet hoc idem S. Doctor. *Dispositio*, ait, *reducitur ad causam materialem, si accipitur dispositio quae disponit materiam ad accipiendum: secus autem est de dispositione agentis ad agendum; quia illud reducitur ad genus causae efficientis.* (4. Dist. 17. q. 2. a. 5. solut. 1.)

nostra dependeat, nec sit in potestate voluntatis ei non consentire, manifeste consequitur, ea quae ex vi talis praedeterminationis a voluntate fiunt, adeoque actus etiam moraliter malos, ei minime imputari posse.

III. Ex mente praedeterminatorum, nihil a dignitate divinae motionis alienum magis, quam ut ea concipiatur per modum alienius influxus de se indifferentis qui virtute causae secundae modificatur, specificetur seu determinetur (1). Atqui hoc modo se habere generalem motionem primi Motoris qui est Deus, expressa ac manifesta est doctrina Aquinatis. Praeter testimonia quae ante recitavimus [572, 573], huc facit doctrina qua exponit, quo pacto fiat ut, tametsi influxus divinus de se non tendat nisi in bonam actionem, haec tamen evadat mala ex culpa voluntatis in qua recipitur. *Necesse est, ait, omnes motus causarum secundarum causari a primo movente, sicut omnes motus inferiorum corporum causantur a motu caeli. Deus autem est primum movens respectu omnium mo-

(1) Bannez scribens de Caietano, qui, ut [580, nota] retulimus, quasi axioma quoddam subaudit, motionem Causae primae *modificari* per causam secundam, haec habet. *Dispicit quod ait, virtutem primae causae modificari per causam secundam. Quod quidem ego falsum reputo, si de prima causa universalissima, qualis est divina voluntas, intelligatur. Immo etiam divina voluntas omnia modificat, dum causa est universalissima et efficacissima cuiuslibet rei et quantum ad fieri et quantum ad esse et quantum ad modum. Et confirmatur. Quia esset ponere maximam imperfectionem in Deo, assurere quod quemadmodum idem omnino concursus solis producit distinctos effectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores, ita concursus divinae voluntatis quantum est ex parte sua manet indifferens, sed modificatur et determinatur ad distinctos effectus per distinctas causas inferiores... Et haec doctrina valde notanda est pro materia de gratia et de praedestinatione, in qua multi paralogizantur putantes, quod liberum arbitrium hominis modificat aequalem concursum et auxilium Dei determinans illud ad magis vel minus efficiendum. Et ita solent aliqui ignoranter dicere, quod cum aequali auxilio gratiae Dei unus convertitur et alius non. Qua via facile inciditur in errorem Pelegrinorum. (In I. p. q. 19. a. 8.) Eandem doctrinam amplexus est Didacus Alvarez. (*De Auxiliis*, Disp. 26.)

tuum et spiritualium et corporalium, sicut corpus caeleste est principium omnium motuum inferiorum corporum. Unde, cum actus peccati sit quidam motus liberi arbitrii, necesse est dicere, quod actus peccati, in quantum est actus, sit a Deo. Sed tamen attendendum est, quod motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum. Alio enim modo causatur a motu caeli motus corporum inanimatorum, quae non movent seipsa, et alio modo motus animalium, quae movent seipsa. Rursumque alio modo consequitur ex motu caeli pullulatio plantae, in qua virtus generativa non deficit, sed producit perfectum germen; alio modo pullulatio plantae, cuius virtus generativa est debilis et producit germen inutile. Quum enim aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, consequitur actio perfecta secundum intentionem primi moventis; sed si non sit in debita dispositione et aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta; et tunc id quod est ibi actionis, reducit ad primum movens sicut in causam; quod autem est ibi de defectu, non reducit in primum movens, sicut in causam, quia talis defectus consequitur in actione ex hoc quod agens deficit ab ordine primi moventis, ut dictum est... *Sic ergo dicendum*, quod quum Deus sit primum principium motionis omnium, quaedam sic moventur ab ipso, quod etiam ipsa se movent, sicut quae habent liberum arbitrium; quae si fuerint in debita dispositione et ordine debito ad recipiendam motionem qua moventur a Deo, sequitur bonae actiones, quae totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam; si autem deficient a debito ordine, sequetur actio inordinata quae est actio peccati, et sic id quod est ibi de actione, reducitur in Deum, sicut in causam; quod autem est ibi de inordinatione vel deformitate, non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium. (Qq. Disp. *De Malo*, q. 3. a. 2.) Ex eodem principio, quod scilicet influentia primi Moventis modificatur per causam secundam, idem S. Doctor derivat, quod motio divina in causis liberis non est *irresistibilis*

qualem docent Bannesiani. "Dicendum, ait, quod Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere: et sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam praeparat, sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine secundum illud Osee XIII., *Perditio tua ex te, Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.* (Quolib. 1. a. 7. ad 2.) Confer alia bina testimonia quae alibi descripsimus [363, fin.]

IV. Certum est ex omnium sententia, decretum divinae voluntatis quo eius potentia intelligitur esse in actu primo applicata ad concurrendum cum ipsis, spectare ad actum primum causae secundae atque adeo voluntatis humanae cui Deus paratus est praebere concursus necessario requisitum in eius operatione. Si itaque actus omnes creaturae, etiam liberae, in tali decreto dicantur cognosci certo et infallibiliter, eo ipso verum erit, eiusmodi actus non in seipsis, sed in causa certo et infallibiliter cognosci, prout hanc locutionem suo loco exposuimus [491, III], ut scilicet illud dicitur cognosci in causa, quod praecise intelligitur intellecto actu primo virtutis eiusdem, illud contra dicitur cognosci in seipso quod intelligitur perspecta et visa ipsa actuali operatione seu actu secundo suae causae. Iam age, solemne est in doctrina praedeterminantium, actus omnes, etiam liberos, creaturarum a Deo certa scientia cognosci in decretis quibus eius omnipotentia intelligitur in actu primo applicata ad concurrendum [489]. Ergo, in ea doctrina, actus omnes creaturarum etiam liberarum non in seipsis sed in causa sensu explicato certa et infallibili scientia a Deo cognosci dicendi sunt. Porro hac assertionem nihil dissonum magis a doctrina disertissima Aquinatis, ut patet ex eius testimoniis quae agentes de divina scientia ante recitavimus [477, seqq.]. Ubique enim disertissima et constanti affirmatione docet nobiscum, quod hoc modo paucis ipse resumit (1.

Cont. Gent. c. 67. fin.). Si unumquodque cognoscitur a Deo sicut praesentialiter visum, sic necessarium erit eum quod Deus cognoscit, sicut necessarium est, SOCRATEM SEDERE EX HOC QUOD VIDETUR SEDERE. Hoc autem non est necessarium absolute, vel, ut a quibusdam dicitur, necessitate consequentis, sed sub conditione vel necessitate consequentiae. Haec enim conditionalis est necessaria: SI SOCRATES VIDETUR SEDERE, SEDET.

EX his omnibus pronum erit, mea sententia, videre, tantum differre motionem divinam quam describit Aquinas a praedeterminatione a Bannesio excogitata, quantum interest inter album et nigrum.

589. *Probatio II. partis.* — Argumentum quo generatim adducor ad hoc asserendum, est quia S. Thomae doctrina de generali dependentia creaturarum a Deo, tota quanta est, huc redit, quod scilicet virtus divina seu potentia, quae unum idemque est cum eius substantia et actione, concipi debeat, ut principium per se et immediate effectivum rei cuiuslibet ab eo distinctae, sive quantum ad esse, sive quantum ad posse, sive quantum ad agere. Atqui ad hoc oppido sufficit influxus divinae virtutis creativus, conservativus, et cooperativus. Ergo praeter mentem S. Doctoris obtruditur genus aliud motionis a praedicto influxu distinctae.

Huius argumenti assumpto satis patere potest ex his omnibus quae huc usque disseruimus, in hac Disputatione praesertim. Propositio vero ostenditur ex his quae B. Thomas tradit *Summa th.* 1. p. q. 105. a. 5.; 2. *Dist.* 37. q. 1. a. 2.; Qq. *Disp. Pol.* q. 3. a. 7. Seligo haec tria loca, tum quia ibi ex professo tractatur haec questio, tum quia collectum continent quaecumque alibi sparsim inveniuntur dicta a S. Doctore ad hanc rem pertinentia.

I. Et ad primum testimonium quod spectat ex. 1. p. Summae theologiae, ibi ex professo expendit S. Thomas, quotuplici modo Deus dicatur operari in omni operante. Porro in fine articuli his verbis resumit doctrinam in eo traditam. *Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, et applicat eas ad agendum, et est finis om-*

nium, ut dictum est. Iam age, quo pacto in corpore articuli B. Thomas exposuit et probavit hanc *applicationem* creaturarum ad agendum verbis recitatis significatam? De hoc enim tota veritatis praesens controversia. Audiatur ipse. *Quia forma rei est intra rem, et tanto magis, quanto consideratur ut prior et universalior; et ipse Deus est proprie causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus, sequitur quod Deus in omnibus intime operetur. Et propter hoc in sacra Scriptura operationes naturae Deo attribuantur quasi operanti in natura, secundum illud Iob. X. 11., Pellibus et carne vestisti me, ossibus et nervis compegisti me. Nemo non videt, hoc unum sic probatum iri, et quidem efficacissime, scilicet non solum esse et virtutem agendi cuiusque naturae, sed omnem etiam operationem ipsius a Deo procedere, ut immediato suo principio effectivo: siquidem ipsa quoque operatio participat de esse, cum sit ens aliquod in rerum natura.*

II. Alterum testimonium ex 2. Sent. luculenter etiam eandem rem declarat. Hic etiam ex professo tradit doctrinam de generali dependentia creaturarum a Conditoris. Ostendit autem, omne ens a Deo esse, secundum quamcunque rationem essendi, propterea quia, praeter Deum, cetera omnia participant aliquod esse quod non est idem quod ipsa sunt: quam rationem nos adduximus et declaravimus [518]. Proponit vero sibi sequentem obiectionem: * Cuiuscumque agentis operatio reducitur in aliquid aliud agens, sicut in causam, illud non est agens per seipsum. Sed quaedam sunt quae per seipsa agunt, quae scilicet dominium suorum actuum habent, ut agentia a proposito. Ergo operationes eorum non reducuntur in agens aliud prius eis, sicut in causam. Sed operationes illae entia quaedam sunt. Ergo non omnia entia sunt a Deo causata. ; (loc. cit. 5. obiect.) Hic profecto locus est tradendi doctrinam de essentiali subordinatione in agendo creaturae a Conditoris. Audiatur itaque, quo tandem, ex mente S. Doctoris, redit eiusmodi dependentia. *Ad quintum dicendum, quod operatio illius agentis qui per se agit, oportet quod in primum agens, sicut in causam, reducatur.*

Quaecumque enim huiusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam et proprium iudicium actus suos determinant, non tamen a se habent quod agant sed a primo agente, quod eis et esse et posse et agere confert. Iam age, patet omnino, totum hoc quod hic postulatur B. Thomas, esse undequaque verum, si et substantiam, et facultates, et operationem omnem creaturarum concipiamus et dicamus esse effectus immediate procedentes a divina virtute, tamquam a proximo et proprio, etsi non unico, eorundem principio effectivo: sic enim verissime Deus dicitur creatoris conferre et esse et posse et agere, quod totum et unice hic vult S. Doctor.

III. Venio nunc ad postremum testimonium quod nonnullis difficultatem facessit, sed, re attentissime considerata, quae huc usque diximus, mea sententia, inde confirmantur potius, nedum infirmantur. Quaerit ibi S. Thomas, an et qua ratione in operatione naturae intermiscatur etiam divina operatio, seu, quod perinde est, an et qua ratione a divina virtute procedat effective quaecumque naturae operatio. Conclusio S. Doctoris haec est. *Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum eius virtute omnis alia virtus agit. Atqui haec omnia vere et proprie locum habent, si et esse et posse et agere cuiusque creaturae tribuantur Deo, ut primo et principali agenti, per se quidem et immediato. Et quod spectat duos priores modos res patet, nec est controversia. Quare tertium et quartum modum examinare oportet.*

Iam age, quod spectat imprimis *applicationem ad agendum* quam eo loci commemorat B. Thomas, optima ratione intelligitur de applicatione illa praevia qua virtus quaelibet causae secundae indiget, ut constituatur in actu primo proximo suae operationis, et quam ante descripsimus [584, III]. Atqui talem applicationem, ut ibidem notavimus [585] minime oportet esse distinctum quidpiam ab immediato et cooperativo influxu quo a Deo procedunt actiones causarum secundarum, quarum activitas scilicet

praerequitur ad actum primum proximum alterius causae constituendum (1).

(1) Hoc intelligere oportet non solum de diversis causis supposito distinctis, verum etiam de diversis facultatibus unius eiusdemque naturae. Immo vero de una eademque facultate secundum diversos actus. Exemplo sit humana voluntas. Haec, ut passim distinguit B. Thomas, operatur quandoque ut *natura*, quandoque ut *voluntas*: primum attenditur in motibus deliberatis quibus voluntas naturali suo pondere fertur in bonum seu beatitudinem, ut sic apprehensa; alterum vero in motibus deliberatis. Quum vero posteriores isti motus fundentur in prioribus, ut S. Doctor animadvertit (*Summa th. 1. p. q. 82. a. 1., q. 83. a. 4., et alibi passim*), hinc prius voluntas movetur ut natura, ut possit moveri ex deliberatione. Constat autem, motus qui ex naturali instinctu procedunt, specialissima quadam ratione tribui Deo, et in his causae secundae potius dicuntur agi quam agere. Quod clarissime declarat Angelicus his verbis: *Aliquid sua actione vel motu tendit ad finem dupliciter. Uno modo, sicut seipsum ad finem movens, ut homo; alio modo, sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante qui suam actionem dirigat in finem. Illa ergo quae rationem habent, seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quae est facultas voluntatis et rationis: illa vero quae ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a seipsis.* (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 1. a. 2.*) Etsi vero hic secundus modus agendi consideratur eo loci a S. Doctore tantum in creatura irrationali, habet tamen veritatem etiam in creatura rationali seu intelligente in primis suis operationibus in quas prorupit ex naturali determinatione. *Quantum intellectus noster, ait S. Doctor, ad aliqua se agat, tamen aliqua sunt ei praestantia a natura, sicut sunt prima principia, circa quae non potest aliter se habere, et ultimas finis, quem non potest non velle. Unde licet quantum ad aliquid moveat se, tamen oportet quod quantum ad aliqua ab alio moveatur.* (*Summa th. 1. p. q. 18. a. 3.*) Ex his facile deducuntur tria velle notanda. Primum, verissima quadam ratione dici voluntatem nostram primum libere operetur, a Deo moveri debere, et sine tali motione nullam dari licentiam liberae electionis. Haec autem motio est *ipse naturalis appetitus elicibus* in bonum: in eo siquidem voluntas operatur ex naturali necessitate, quae, ut definit Angelicus (*Summa th. 1. p. q. 103. a. 1. ad 3.*), est *impressio quantum Dei dirigentis in finem, sicut necessitas qua vulgus agit ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis et non sagittae*. Secundo, hoc praemotivis genus quod libentissime amplectimur, toto caelo differre a praemotioe illa a solo Deo procedente quam nonnulli expiscari voluerunt in doctrina B. Thomae. Discrimen est duplex potissimum. Unum est, quia praemotio haec

Quartus vero modus divinae operationis in natura operante quem hic describit Angelicus, procul dubio ad

quam admittimus, est motus quidam vitalis in voluntate; est siquidem primum eius velle deliberatum, quod proinde active procedit tum a Deo tum ab humana voluntate, etsi, ob causam expositam, specialissima quadam ratione Deo potius quam voluntati tribuatur. Contra, praemotio altera est res quadam mortua, praevia scilicet ad omnem operationem vilalem. Alterum discrimen est, quia praemotio vitalis quam exposuimus, requirit tantum ut voluntas de non agente simpliciter incipiat actu agere, et in actibus consequentibus non manet nisi virtute, ut ipse amor boni qui virtute manere dicitur in appellitionibus bonorum particularium. Praemotores vero quos refutamus, volunt nescio quem instinctum a solo Deo procedentem ad omnes et singulas operationes voluntatis, qui formaliter in voluntate recipiatur et multiplicetur pro multiplicatione operationum quascumque elicit. Tertio denique apparet ex dictis, applicationem ad agendum de qua S. Thomas in cit. art. 9. III. *Pot., si de actione deliberatae voluntatis est sermo*, non esse aliam a praedicto naturali elicitio appetitui quem descripsimus. In haec rem facit quod S. Doctor tradit de motivo voluntatis et de modo quo movetur in tota q. IX. et X. 1. 2^{ae} Summae theologiae. *Voluntas, ait, non secundum idem movet et movetur; unde nec secundum idem est in actu et in potentia; sed in quantum vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum quae sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit. . . . Ipsa (voluntas) movet seipsam in quantum per hoc quod vult finem, reducit se ad volendum ea quae sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit, et per tale cogitationem pervenit ad hoc, quod potest sanari per medicinam, et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod *inceperit* velle sanari ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret ad volendum, oportuisset, quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate praesupposita. (Confer n. 349.) Non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas predeat ex instinctu alicuius exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in eodem capite Ethicae Eudemense (c. 18.). Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel apparet bonum. (loc. cit. q. 9. a. 3. ad 1. a. 4. corp., a. 6. ad 3.) En ab eodem B. Thoma graphicè descriptam applicationem praeviam ad agendum quam requirit involuntate, et quam saepe simplici nomine motionis appellat. *Saepe, inquam; sunt enim alia loca S. Doctoris in quibus non idem sensus huius vocis inest, ut paulo ante animadvertimus;**

concursum simultaneum spectat. In eo siquidem consistit ex mente S. Doctoris, quod creatura *dei esse, prout instrumentaliter agit in virtute divina*. En eius verba. "Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti; et hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior; et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus quod est ens, et quod est res naturalis, et quod est talis vel talis naturae. Quorum primum est commune omnibus entibus; secundum omnibus rebus naturalibus; tertium in una specie; et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causae quae respicit totam speciem et ulterius totum esse naturae inferioris. Et propter hoc nihil agit in speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis caelestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei. *Ipsium enim esse est communissimus effectus primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus; unde etiam, ut dicitur in lib. de Causis, Prop. 9., intelligentia non dat esse nisi prout est in ea virtus divina*. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quolibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis. Tota haec ratiocinatio Aquinatis plenissime verificatur in dependentia immediata qua operatio creaturae sub ratione entis pendet a virtute divina, ut nos tuemur. Contra, si ad praemotionem quam vellent adversarii, transferatur, prorsus omnino enervatur. Et re quidem vera, istiusmodi praemotio tandem aliquando redit ad genus quoddam *virtutis cuiusdam fluentis* naturali virtuti creaturae *inhaerentis*, eique a Deo superadditae, in eum finem scilicet ut ea evadat actuale principium suae operationis. Quare si talem interpretationem patenter recitata verba S. Doctoris, creatura operans *ageret ad esse, prout descripta virtute instrueretur*. Alqui certo certius

haec interpretatio plane excluditur a ratiocinatione qua utitur B. Thomas. Haec tota quanta est in eo principio nititur quod nulla creata virtus ex se agit ad esse, h. e. ut saepenumero declaravimus, tametsi veri et proprie influat esse in rem cuius est vera causa efficiens, eam tamen *per se primo* non respicit sub generali ratione entis, sed sub ratione aliqua magis contracta et speciali. Atqui praedicta virtus *fluens*, et creaturae *inhaerens*, esset procul dubio virtus quaedam creata. Ergo impossibile est, ut per istiusmodi virtutem creatura reddatur idonea ad dandum esse. Deinde id manifeste excluditur etiam ex his quae Angelicus addit in fine totius articuli. *Sic ergo, ait, Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum eius virtute omnis alia virtus agit*. Et cum CONTINGEREMUS HIS QUOD DEUS SIT SUA VIRTUS, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operatur, non exclusa operatione voluntatis et naturae. Meo quidem iudicio, manifestum fit ex his verbis, virtutem illam quam B. Thomas postulat ut virtus agendi naturaliter indita causis secundis corroboretur et quasi instrumentaliter elevatur ad dandum esse, minime haberi in virtute illa fluente quam adversarii tanto conatu expiscari vellent in operibus Angelici, sed esse ipsissimum omnipotentiam divinam, quae, etiam quando cooperatur cum causis secundis, earundem actionem et effectum omnem *per se primo* semper respicit sub ratione entis participati, prout huiusmodi, ut in ipso limine huius Disputationis demonstratum habes (1).

(1) Confer de hac re cl. Picirelli (*De Deo Disputationes Metaphysicae*, Disp. III. n. 177, seqq.), ubi diligenter et scite expendit quae B. Thomas docet in cit. art. *De Potentia*. Aliquantisper tamen recedo a cl. scriptore in interpretatione quam tradit n. 189. Magis enim ex mente Angelici puto esse interpretationem aliam quam amplexus sum [572].

Solvantur difficultates

590. Non pauca testimonia Aquinatis quae adversarii in suae opinionis patrocinium accumulunt, suis propriis locis examinavimus, quaeque huc usque dicta sunt, abunde sufficere cuiquam videri poterunt. Praestat tamen pauca alia seorsum expendere, nec ulla ex parte praesens initia investigatio deficiat.

Obiectio I. — Motio de qua B. Thomas, est efficacissima, et indeclinabilis. *Si Deus, ait, movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur.* (Summa th. 1. 2^{ae}, q. 10. a. 4. ad 3.) Et alibi, *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quae deficere non potest.* (Qq. Disp. De Malo, q. 6. ad 3.) Atqui eiusmodi non est, nisi per eam voluntas humana praedeterminetur ad unum.

Respondeo. *Concessa maiore, nego minorem.* Recitata testimonia B. Thomae, aliaque his gemina duplicem continent veritatem. Primo quidem eis edocemur, divinae providentiae et gubernationis ordinationem esse certam, ut ante docuimus [554, III]. Haec vero certitudo optima ratione explicatur [476, seqq.], quin recursus habeatur ad praedeterminationes Barnesianas. Secundo his docet divus Thomas, motionem divinam nunquam deficere ab eo ad quod actu et proxime movet. Si itaque haec motio est cooperativa, habebitur quidem operatio ad quam Deus cooperatur, sed secundum quod est modificata per operationem causae secundae, adeoque, si sit libera, eo ipso procedet, ut a causa determinante, a voluntate ad unum non praedeterminata. Sin vero actu et proxime moveat ad aliquid huic operationi praevium, habebitur quidem hoc praevium, puta affectio in bonum ut sic, sed minime propterea consequetur *indeclinabiliter* operatio libera: talis quippe motio divina non est proxime et per se ad actuale exercitium liberae operationis, sed ad actum primum eiusdem.

Instabis. S. Thomas eo modo docet voluntatem a

Deo moveri ut determinetur. Sic enim inquit (Summa th. 1. p. q. 19. a. 3. ad 5). *Causa quae est ex se contingens, oportet ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas dicina quae ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam.*

Respondeo. Quo pacto intelligenda sit determinatio quam postulat humana voluntas, secus ac divina, ex professo declaratum habes ab eodem S. Doctore his verbis. *“Nihil agit nisi secundum quod est in actu; et inde est quod oportet, omne agens esse determinatum ad alteram partem: quod enim ad utrumlibet est aequaliter se habens, est quodammodo potentia respectu utriusque; et inde est, quod ut dicit Commentator in 2. Physic., ab eo quod est ad utrumlibet, nihil sequitur nisi determinetur. Determinatio autem agentis ad aliquam actionem, oportet quod sit ab aliqua cognitione praestituente finem illi actioni. Sed cognitio determinans actionem et praestituens finem, in quibusdam quidem coniuncta est, sicut homo finem suae actionis sibi praestituit: in quibusdam vero separata est, sicut patet in his quae agunt per naturam. . . .”* Sic ergo patet, quod haec est differentia in agentibus, quia quaedam determinat sibi finem et actum in finem illum, quaedam vero non; nec aliquid agens finem sibi praestituere potest nisi rationem finis cognoscat et ordinem eius quod est ad finem ipsum, quod solum in habentibus intellectum est. Et inde est, quod iudicium de actione propria est solum in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem vel illam: unde et dominum sui actus habere dicuntur. *Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus.* (2. Dist. 35. q. 1. a. 1.) Determinatio igitur quam postulat creata voluntas, fit per eius liberum arbitrium, praevia motione accepta mediante cogitatione mentis et naturali appetitu in finem, quam motionem ab eodem S. Doctore descriptam tradidimus [589, nota]. Ex quo patet discrimen voluntatis creatae a divina, quod testimonio citato in obie-

ctione brevissime Angelicus indicavit. Etenim primo, cum divina voluntas sit suum velle, non debet determinari per volitionem aliquam in se receptam. Secundo, cum in Deo velle et intelligere sint unum idemque, minime divina voluntas moveri debet ad volendum a praevia aliqua cogitatione. Tertio, cum ipse Deus sit rerum omnium principium et finis, minime concipi debet naturali quodam appetitu ad alio in bonum incitari et quasi propelli. Oppositum, quoad haec tria, contingit in humana voluntate eo quod sit *causa contingens*.

Obiectio II. — Non uno in loco B. Thomas motionem divinam exhibet ut natura et causalitate *priorem* actione secundorum agentium. *Impossibile est, ait, esse aliquem rectum motum in ipsa (anima) quem non praeveniatur actio divina.* (3. *Cont. Gent.* c. 149.) Et alibi, *Omnis actio secundae causae firmatur super actione causae primae* (2. *Dist.* 1. q. 1. a. 3.). Quod iterum repetit sic inquit, *Actio primi agentis... est prior in movendo, quia actiones omnium secundorum agentium fundantur super actione primi agentis.* (3. *Dist.* 23. q. 3. a. 1. solut. 2.) Similiter alibi cum ait, *Sicut actio naturae praecedit actionem voluntatis nostrae, ratione cuius in operibus artis quae a voluntate sunt, naturae operatione indiget; ita voluntas Dei quae est origo omnis naturalis motus, praecedit operationem naturae; unde et eius operatio in omni operatione naturae requiritur.* (Qq. *Disp.* *Pot.* q. 3. a. 7. ad 9.)

Respondeo, haec omnia veritatem habere in sententia quam tuetur, quin ulla ratione adigamur ad praemotionem admittendam qualem vellent adversarii. Etenim actio divina nostram praevenerit ac multiplici quidem titulo. Nam primo quidem praecedat oportet actio Dei creatantis, et de hac expresse loquitur Angelicus in secundo testimonio recitato, *ut patet ex contextu*. Praeterea, omnem actionem causae secundae necesse est praecedat tum actio divinae voluntatis qua omnipotentiam suam in actu primo applicat ad concurrendum [583, I], tum actio ipsius divinae omnipotentiae entitativae et formaliter considerata [572]. Atqui huc pertinent duo postrema testimonia quae ab obiciente

recitantur, *ut iterum manifeste patet ex toto contextu*. Denique, si de actibus bonis et liberis sit sermo, supernaturalibus praesertim, opus est praevieniam indeliberatis illis motibus intellectus et voluntatis quibus instigamur ad bonum amplectendum malumque vitandum, quosque paulo ante descripsimus [589, nota]. De his loquitur B. Thomas. (3. *Cont. Gent.* c. 149.) ubi ex professo loquitur de auxilio gratiae quam theologi appellant *praevienientem*.

Instans B. Thomas motionem divinam assimilat applicationi, qua *artifex applicat securim ad scindendum*, ut ipse loquitur (*Summa th.* 1. p. q. 105. a. 5.). Atqui in tali applicatione securis, in signo naturae prior ad suam actionem, se habet passive tantum, ut scilicet recipiat virtutem qua scindere possit. Ergo motio divina de qua S. Doctor, simili modo concipi debet.

Respondeo. *Dist. nat.* Et haec similitudo a S. Doctore urgetur in omnibus, *neg.*; et haec similitudo a S. Doctore in aliquo dumtaxat assumitur quod cum naturali diversitate mobilium congruit, *conc. Conc. min. Dist. diver. consequens*.

Concedimus quidem, existere analogiam aliquam inter applicationem qua securis ab artifice applicatur ad scindendum, et motionem qua a Deo omnis virtus creata applicatur ad suam operationem. Haec porro analogia consistit in duobus, pro duplici modo applicationis quem ante descripsimus [584]. Primo quidem in eo, quod Deo ut primo et principali agenti, attribueret oportet ea quibus creaturae virtus constituitur in actu primo proximo suae operationis. Secundo vero in eo, quod creatura in operando se habet, ut causa instrumentalis, eo sensu scilicet quem declaravimus. Minime vero urgenda est haec similitudo in eo quod, quemadmodum securis antequam scindat recipere debet impulsu quo moveat, sic etiam virtus omnis creata simili quodam impulsu debeat praeveneri ad operandum. Id enim convenit securi pro eo quod est agens *inanimatum*: quare non nisi pueriliter transferretur ad agentia *animata*, praesertim *libera*. Lege testimonium Angelici quod ante exscripsimus [573, nota].

Instabis rursus. B. Thomas cit. q. 3. *De Potentia*, haec habet. * Virtus naturalis quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, mest eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aëre et virtus artis in instrumento artificis. (loc. cit. ad 7.) Atqui intelligibilis videtur istiusmodi intentio, nisi concipiatur ut vera quaedam praemotio physica, qualis ea est quam nos impugnamus.

Respondeo. *Conc. testimonium, et nego absolute minore.* Tantum abest, ut haec verba Aquinatis in patrocinium afferri possint praemotiois quam reccimus, quin potius umice veritatem habent in divina cooperatione quam descripsimus. Patet hoc ex his quae immediate sequuntur. Sic enim pergit Aquinas. * Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis esset in ea quae quaedam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad esse ut instrumentum primae causae, nisi daretur ei quod esset universale agendi principium: nec iterum virtuti naturali conferri potuit ut moeret seipsam, nec ut conservaret se in esse. Unde sicut patet quod instrumento artificis conferri non oportuit quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur absque operatione divina. Ex his verbis manifestum fit, intentionem illam de qua B. Thomas in re praesenti, pertinere ad quartum modum quo in corpore artienli docuit Deum in natura operari. Hic porro modus, ut ante ex doctrina eiusdem Angelici declaravimus [189, III], procul dubio spectat ad divinam cooperationem seu concursum simultaneum, non vero ad aliquid in virtute creaturae receptum eiusque actioni physice praevium. Accedit quoque in favorem huius interpretationis similitudo adhibita a S. Doctore. Sic enim praedictam actionem instrumentalem creatura exerceat agendo in esse, quemadmodum virtus naturalis agit in opus artis, prout huiusmodi. Atqui nota

est sententia eiusdem Aquinatis sic aientis: *Non autem perficit instrumentum actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum* (*Summa th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 2.*). Recte autem eiusmodi intentio dicitur a beato Thoma non habere esse fixum sed quodammodo fluens, quia tandem aliquando ea nihil aliud est, nisi ipsa actualis dependentia actionis creaturae a virtute divina coagentis [581]; patet autem, eiusmodi dependentiam non habere esse fixum, sed tandiu manere, tandiu manet ipsa creaturae actio. Hinc S. Doctor in recitata solutione hoc tantum concludit. *Sicut patet quod instrumento artificis conferri non oportuit, quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur absque operatione divina.*

Urgebis demto. B. Thomas (3. *Cont. Gent.* c. 66.) haec habet. *In ordine ad causandum esse, complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi.* Atqui cooperatio divina sive concursus simultaneus non dat complementum virtutis agentis secundi. Ergo creatura ut agat ad esse, debet praevie moveri a Deo.

Respondeo. *Conc. mai. Ney. min.* Complementum illud de quo in recitato testimonio loquitur Angelicus, est ipsamet operatio secundi agentis, quae complet virtutem ipsius, ut actus secundus complet actum primum. Patet manifeste haec interpretatio, si integrum testimonium recitetur. * Ultimum, ait, in bonitate et perfectione inter ea in quae potest agens secundum, est illud in quod potest ex virtute agentis primi: *nam complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi.* Quod autem est in omnibus agentibus perfectissimum, est esse: quaelibet enim natura vel forma perficitur per hoc quod est actu, et comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad actum ipsum. Igitur esse est quod agentia secunda agunt in virtute primi agentis. Haec Angelicus. Unde manifestum est, hic esse sermonem de eo complemento quo virtus creaturae de agente in potentia, seu in actu primo, evadit agens in actu, seu in actu secundo. Constat autem, actum secundum potentiae operatricis esse ipsam operationem, quae certe eli-

citur a creatura in virtute primi agentis, ut fateamur omnes.

Obiectio III. — S. Thomas notissimum illud principium, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, quandoque interpretatur de motione praevia ab alio recepta, ut videri potest ex his quae tradit (*Summa th. 1. 2^{ae}. q. 9. a. 4.*). Ergo, ex mente S. Doctoris, huius proloquii veritati minime satisfacit concursus simultaneus quem nos admitimus.

Respondeo. *Conc. antec. Neg. conseq.* Ad huius rei intelligentiam notandum est, recitatum proloquium dupliciter accipi posse, et utroque modo veritatem habere, tametsi non aequè immediatam. Primus sensus est, quem in Philosophia Prima tradidimus [573]. Si hoc modo accipiat, eius veritas est ex terminis immediata certa et evidens, adeoque inter axiomata merito recensetur, coque sensu illud usurpavimus in demonstratione divinae existentiae quam suo loco adhibuimus [389]. Patitur praeterea hoc pronuntiatum alium sensum eumque magis restrictum et determinatum, et est praecise quo illud interpretatur Angelicus in articulo in obiectione citato aliisque locis parallelis. Huc redit, ut scilicet *quotiescumque virtus aliqua de non agente simpliciter, incipit evadere actu agens*, indigeat moveri praevia aliqua motione alterius moventis. Etiam hoc verum est, sed eo modo quo id explicat idem B. Thomas cuius doctrinam ante retulimus [184, III] eamque magna ex parte desumptam praecise ex articulo qui obicitur. Atqui non inde emungitur quidpiam in favorem praemotions eo sensu intellectae quem reprobamus. Ceterum observa, non esse aequè immediatam veritatem huius proloquii in hoc altero sensu accepti ac si primo modo intelligatur. Ea siquidem dependet ex duplici alia veritate, adeoque dici non potest immediate ex terminis nota. Nam si de causis naturalibus sit sermo, eatenus verum est, eas praevia aliqua motione seu applicatione indigere, ut operari incipiant, quia ipsae sunt causae necessariae, quae propterea si non agunt, id procedit ex defectu alicuius praerequisiti. Ergo ut de non agentibus incipiant evadere actu agentes, praerequitur

activa motio alterius agentis, ut *tale praerequisitum* recipiant. Si vero agatur de voluntate libera, eatenus etiam in ea locum habet praedicta necessitas alicuius praeviae motionis seu applicationis, quia operatio libera voluntatis creatae praeveneri debet, tum a cogitatione intellectus, tum ab indeliberato motu ipsiusmet voluntatis: intellectus autem et voluntas cum incipiunt sic operari, operantur ut causae naturales adeoque necessariae, in quibus, ut paulo ante diximus, praerequitur activa motio alterius agentis qua de otio transferantur in actum.

SECTIO XII.

De effectibus supermundanis divinae gubernationis.

591. **Argumentum.** — Tractandam hic suscipimus questionem quae *De miraculis* inscribi solet. In hunc locum hanc tractationem reservavimus, quia nullus videtur opportunior ad eam pro dignitate resolvendam. Imprimis enim ea minime potest, ut par est, agitari, nisi praesupponantur quae de perfectionibus divinis in praecedentibus disputationibus praeiacta fuere. Quare hoc loco si tractetur, eius resolutio evadet longe facilius simul ac solidior. Dein vero nemo non videt, eam rem per se omnino pertinere ad tractatum de *divina gubernatione*, quem in praesenti Disputatione prae manibus habemus, qui propterea mancus atque imperfectus foret, si ex hac parte deficeret. Quare B. Thomas eo loci, de *divina providentia* scilicet, questionem praesentem pertractat (*Summa th. 1. p. q. 105. a. 6, 7, 8.*; 3. *Cont. Gent. c. 99, seqq.*). Accedit etiam quod haec postrema pars Metaphysicae attingit ipsa limina Theologiae revelatae, quae tota est de supernaturali rerum ordine. Quandoquidem ope miraculorum Deus potissimum humani generis mentem e naturali ad super-

naturalem ordinem evehere solet, quae propterea sunt quasi annulus quo utriusque ordinis operum series a divina providentia mutuo connectitur.

592. **Ordo naturae eiusque contingentia.** — Iam age, ad hanc considerationem devenientes, ante omnia praestituere oportet notiones quasdam et principia, quae ceteroquae facile capiuntur ex dictis. Ac imprimis, e multiplici acceptione qua *naturae* nomen usurpari solet, ea in praesenti nobis erit usui, qua initio [4] naturam descripsimus, ut est scilicet principium internum motus sensibilis. De substantiis propterea sermo erit quae adspetabilem hanc mundi machinam componunt, prout ex interna inclinatione cuique insita moventur atque operantur. Mutuus nexus et dispositio qua diversae substantiae eiusmodi aptantur invicem secundum praedicta principia cuique indita ut intra genus suum se se explicent et perficiant, ordinem illum constituit qui *physicus* seu *naturalis* appellatur. Hunc porro ordinem, absolute et simpliciter loquendo, non necessarium sed contingentem esse, iam alibi demonstratum dedimus [393, 503]. Ex quibus locis patet etiam, triplici potissimum titulo eiusmodi contingentiam asseri debere. Nam primo quidem ipsa existentia rerum quae in hunc ordinem coadunantur, contingens est, non necessaria: sunt enim res factae, earundemque effectio ex libera Dei voluntate procedit. Dein vero, etiam supposita hac existentia, necessarium minime est sed contingens, quod eae fuerint primitus ita dispositae ut iste praecise ordo effloresceret quem modo contemplamur: magnam siquidem partem exurgit ex locali motu qui non necessario procedit ex naturis harum rerum, sed est ipsis plane adventitius, quem admodum contingit in artificialibus. Tertio denique, ipsa consecutio actualis effectuum, qui supposita primaeva institutione mundani ordinis habentur, non est undequaque necessaria: dependet enim ex divina conservatione et cooperatione, in qua duplici operatione Deus liber est, etsi, ut mox dicemus, constanti legum ordinatione suae voluntatis consilium exequatur.

593. **Naturae leges quae dicantur. Leges cosmicae.**

Determinationes principii naturalibus rerum mundanarum per se insitae ut sic et non aliter moventur et operantur iuxta finem sibi debitum seu proportionatum, communi loquendi more *leges naturae* seu *physicae* nuncupantur. Sumitur haec locutio secundum analogiam quamdam cum lege proprii nominis, qua voluntas libera ex superioris praeecepto adstringitur ad sic operandum vel non operandum. Ut enim eleganter discussit Angelicus: * Lex est directiva actuum qui conveniunt subiectis gubernationis alienius: unde nullus, proprie loquendo, suis actibus legem imponit. Quaecumque autem aguntur circa usum rerum irrationalium homini subditarum, aguntur per actum ipsius hominis moventis huiusmodi res: nam huiusmodi irrationales creaturae non agunt se ipsas, sed ab aliis aguntur... Et ideo rebus irrationalibus homo legem imponere non potest, quantumcumque ei subiciantur: rebus autem rationalibus sibi subiectis potest imponere legem, in quantum suo praeecepto vel denuntiatione quantumcumque imprimi menti earum quamdam regulam quae est principium agendi. Sicut autem homo imprimi denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subiecto, ita etiam Deus imprimi toti naturae, secundum illud Ps. 148., *Praeceptum posuit et non praeteribit.* Et paulo inferius. * Hoc modo se habet impressio activa principii intrinseci, quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines: quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum, ut dictum est. (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 93. a. 5. corp. et ad 1.*) Sunt qui ab his legibus distinguendas esse aiunt *leges cosmicae* seu divinae providentiae, quibus scilicet non tam ipsius naturae sed auctoris potius naturae operatio quasi adstricta exhibetur, non certe ex extrinseco aliquo agente, sed ex dictamine suae sapientiae et bonitatis. Vide Tongiorgi (*Cosmol. lib. 4. c. 1. a. 2*). Equidem censeo, hanc distinctionem rite adhiberi, quatenus hae universales quidem sunt, ut quae locum etiam habent in natura spirituali et quoad ipsum ordinem supernaturalem de quo theologi. Ceterum si de rebus ma-

terialibus sit sermo, et in ordine ad finem sibi debitum seu proportionatum, non videtur esse necessaria admodum. Etsi enim plura quae ad has leges cosmicas pertinere dicuntur, a Deo potius quam a natura *effectivè* proficiuntur, quatenus tamen in his Deus operatur ut naturae auctor et provisor, ea sunt semper secundum ipsius naturae exigentiam et proportionem: naturam vero in praesenti accipimus prout est principium non modo activum sed passivum etiam sui motus [4, 2^o]. Quocirca has etiam leges sub usitato nomine legum *physicarum* comprehendimus, prout scilicet, ut dictum est, sermo habetur de praesenti ordine quem *naturalem* appellavimus, praesertim cum non Deus ipse, sed natura tantum legi dicatur subiaci.

594. **Quanta sit necessitas eventuum quae e praedictis legibus enascitur.** — Tamquam effectus proprius cuiusque legis habetur necessitas quaedam qua res cui lex imponitur, obligatur seu adstringitur ad sic operandum vel non operandum. Haec necessitas, prout vim suam exerit quatenus est ratione cognita ac respectu voluntatis liberae operantis, *moralis* nuncupatur: *physica* vero, secundum quod inest ipsi principio actionis, ut quod suapte natura non est indifferens ad plura sed determinatum ad unum. Patet autem, ad hunc alterum necessitatis modum revocandam esse eam quae ex naturae legibus proficiuntur. Ut autem ea quanta sit, penitus intelligatur, haec tria diligenter observa.

I. Haec necessitas non est eiusmodi, ut eius oppositum sit *interne ac logice* impossibile. Talis quippe impossibilitas oritur ex ipsa essentiali ratione subiecti et praedicati, ut quae implicant esse et non esse simul [Pr. Ph. 565]. Id vero asseri minime potest de eventibus qui ex legibus physicis enascuntur. Referuntur enim ad ordinem actualitatis. Atqui in tali ordine solus Deus necessitate fruitor cuius oppositum interne et logice est impossibile. Hinc patet, necessitatem omnem quae ex his legibus enascitur, esse semper necessitatem quandam *ex suppositione et relativam*: nimirum ex suppositione pra-

sentis ordinis physici a Deo instituti, et relative ad virtutem causarum ex quarum mutua connexionem et dependentiam ordo praesens efflorescit.

II. Age vero, si eventus quos consideramus, referuntur ad causas naturales, prout hae sunt constitutae in actu primo proximo suorum motuum operationumque, veri nominis necessitas eaque antecedens in eis erritur: unde hoc modo, ut alibi diximus [553, I], talis necessitas dicitur quandoque *fatalis*. Ratio plana est. In hoc enim effectus naturalium causarum differt ab effectibus causarum liberarum, quod in illis, secus ac in istis, actus secundus separari minime potest ab actu primo completo seu proximo, cum scilicet causa consideratur ut est instructa omnibus praerequisitis ad agendum. Adverte autem, inter haec praerequisita communerari etiam debere decretum applicativum in actu primo divinae omnipotentiae ad concurrendum [583, I].

III. Quod si consideretur iste ipse actus primus quem modo descripsimus, et quaeratur, an necesse sit (supposita semper primaeva institutione praesentis mundani ordinis), causas naturales omnibus praerequisitis instrui quibus in actu primo proximo suorum motuum et operationum constituuntur; distinguere ulterius oportet. Ex his enim praerequisitis quaedam dependent ex praevio motu vel operatione aliarum causarum naturalium; alia vero a Deo, ut est maxime conservatio cuique rei proportionata et concursus oblati. Si primo modo res consideretur, patet eandem necessitatem hic elucere ac haberi diximus in notatione praecedente: talia quippe requisita antecedente etiam necessitate procedunt ex motu ac operatione causarum naturalium, earum scilicet quibus subsequentes applicantur ad agendum. Quod si alio modo res consideretur, necessitas etiam quaedam *secundum quid* asseri debet. Nimirum, supposito decreto libero divinae voluntatis praesentem ordinem instituentis, ipsa ratio divinae sapientiae postulat, ut Deus sic in natura operetur, ut hic ordo veram constantiam et stabilitatem praese ferat congruentem principis inditis rerum singularum. Etsi enim, ut mox demon-

strabitur, expedit ut aliqua quandoque exceptio seu derogatio contingat, creationis fini nullo modo provisum foret, si quacumque de causa et continua mutationes eiusmodi eveniret. Sic enim magna existeret confusio, nec homo ad quem ordo physicus refertur, ullum ex eo emolumentum capere posset: omnis siquidem fere certitudo physica corrueret [Pr. Ph. 230, seqq.]. Ob rationem consimilem, communi naturae sensu nemo est qui non reprobet societatem in qua nulla lex fixa et stabilis foret, sed inconstanti cuiusque arbitrio omnia regerentur. Atque ita rem habere experientia luculentissima edocetur: id enim unde maximopere commendatur pulchritudo quam admiramur omnes in adspectabili hoc universo, est ipsa summa stabilitas et constantia qua viget: unde pronuntiatum communi calculo receptum, *Leges naturae sunt constantes*.

595. **Cursus naturae. Quaestio decidenda.** — Constans consensio eventuum secundum praedictas leges proveniens, is est quem *naturae cursum* appellant. De huiusmodi cursu tota movetur quaestio, in cuius gratiam notavimus quae praecedunt. Disputatur scilicet, num supposita primaeva institutione mundani ordinis, quae secundum naturae cursum constanter fieri debere praemisimus, adeo fixa sint oportet, ut Deus nunquam et nusquam tali cursui derogare valeat, quemadmodum exempligratia minime derogare potest de generali ordine dependentiae qua omnia in ipsum tanquam in primum principium atque ultimum finem ordiantur. Uti vides, sermonem instituvimus de his ad quae naturae cursus se protendit, quae tamen aliter fiunt quam nata sunt fieri. Quocirca hic non referuntur quae per se spectant ad gratiae ordinem, seu iustificationis (1). Elsi enim haec sunt strictissimo ac proprissimo

(1) * Creatio et iustificatio impii, etsi a solo Deo fiant, non tamen proprie loquendo, miracula dicuntur: quia non sunt nata fieri per alias causas, et ita non contingunt praeter ordinem naturae, cum haec ad ordinem naturae non pertineant. S. THOMAS (*Summa th.* I. p. q. 103. a. 7. ad 1.).

nomine supra omnem naturae exigentiam et facultatem, adeoque supernaturalia simpliciter, minime derogatione constant aliqua legum naturalium, sed excellentiorem alium ordinem constituunt perfectionis ad quam nulla invenitur potentia in natura nisi quae pure *obediendialis* dicitur [Pr. Ph. 564]. In hac porro quaestione agendum est non solum adversus atheos et pantheistas omnes, verum etiam contra deistas qui vel inficiantur Deum specialem providentiam habere rerum humanarum, vel odio in christianam religionem permoti, dubia et difficultates undequaque adseiscunt, ut ipsam divinae revelationis possibilitatem quasi rem chimaericam traducant.

THESIS XXXII.

Nihil velat, opera quaedam sensibilia praeter naturae ordinem divinitus fieri, quaeque iure optimo miracula nuncupantur.

596. **Demonstratio I. partis.** — Paucis verbis eam sic proponit B. Thomas: "His tribus habitis, scilicet quod Deus sit rebus naturalibus causa essendi, et quod propria cognitionem et providentiam habeat de unoquoque, et quod non agat ex necessitate naturae, sequitur quod potest praeter cursum naturae aliquid agere in particularibus effectibus; vel quantum ad esse, in quantum aliquam novam formam inducit rebus quam natura inducere non potest, sicut formam gloriae, aut huius materiae, sicut visum in caeco; vel quantum ad operationem, in quantum retinet operationes rerum naturalium, ne agant quod natae sunt agere." (Qq. Disp. Pot. q. 6. a. 1.)

Et re quidem vera, patet ex praecedentibus, praesentem naturae ordinem a Deo procedere agente ex consilio suae divinae voluntatis. In divina autem voluntate respectu operum ad extra nulla necessitas agendi concipi

potest quae sit absoluta et antecedens; sed consequens dumtaxat et ex suppositione [503]. Haec vero duplex est, tametsi ex eodem fonte oriatur, ex immobilitate scilicet divini consilii. Altera consistit in morali constantia divinae voluntatis, quae nihil de novo velle incipit, sed quaecumque vult, ab aeterno sic esse voluit [447, II]. Altera vero enascitur ex fine. Etsi enim Deus sit plane liber in eo fine appetendo, si tamen illum serio et efficaciter vult, impossibile est, ut non velit et sine quibus finis obtineri non potest: hoc enim perinde esset atque idem velle et nolle simul. Unde haec etiam necessitas oritur, ut dictum est, ex immobilitate divini consilii. Si itaque Deus minime operari posset quidpiam praeter institutum naturae ordinem seu cursum, ergo istiusmodi impossibilitas ex alterutra necessitate modo descripta duci deberet. Atqui id minime verum est. Ergo nihil prohibet, quominus opera quaedam sensibilia praeter naturae ordinem seu cursum divinitus fiant.

Probatum ultima assumptio. Ac primo quidem manifestum est, nihil plane deperire in ea hypothese de morali constantia divinae voluntatis. Ut enim notavit Angelicus: "Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde cum praeter hunc ordinem agit, non mutatur." (*Somma th.* 1. p. q. 105. a. 6. ad 3.) Manifestum est etiam, eiusmodi opera praeter naturae cursum divinitus effecta nulla ratione contrariari, immo vero convenire maxime cum fine a Deo serio et efficaciter intento in molitione rerum. Hic enim consistit in manifestatione divinarum perfectionum quae relect in ordine totius universi, ac potissimum in earundem cognitione et laude quae a creaturis rationalibus habeatur [523, seqq.]. Atqui huic fini nedum opponitur, sed congruit oppido, ut eiusmodi opera contingant aliquando. Ut enim rursus ait Angelicus: "Quando Deus agit aliquid contra cursum naturae, non tollitur totus ordo universi, sed cursus qui est ex ordine unius particularis rei ad aliam. Unde non est inconveniens, si aliquando contra cursum naturae aliquid fiat ad sa-

lutem hominis, quae consistit in ordinatione ipsius ad ultimum finem universi." (Qq. Disp. *loc. cit.* ad 21.) Et alibi: "Divina virtus quandoque aliquid facere potest, sine providentiae suae praeiudicio, praeter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suae virtutis manifestationem facit interdum. Nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura divinae subiecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operatur: ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit a Deo, non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem." (3. *Cont. Gent.* c. 99.)

Confirmatur haec demonstratio luculentissime a posteriori. Nisi enim quis vel in historia hospes plane ac peregrinus, vel omnino scepticus esse velit, minime inficiari potest, quaedam portenta istiusmodi reipsa contigisse. Ab esse autem ad posse valet illatio, ut notum fert adagium. Certe equidem omnes fere gentes facta id genus in gratiam suae religionis sibi vindicare consueverunt. Ea propterea fieri posse crederunt.

597. *Demonstratio II. partis.* — Ostendendum est modo, facta eiusmodi recte *miracula* appellata esse ac appellari debere. Id porro nitide etiam sic declarat Aquinas, quo certe nemo veritus ac profundius praesentem materiam tractavit. "Miraculi nomen, ait, a *mirando* est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, ut potest accipi ex verbis Philosophi in princ. *Metaph.*: quorum unum est quod causa illius quod admiramur, sit occulta; secundum est, quod in eo quod miramur, appareat aliquid per quod videatur contrarium eius debere esse quod miramur; sicut aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam ignorans calamitae virtutem, cum videatur quod ferrum naturali motu tendere deorsum. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo secundum se; alio modo quoad nos. Quoad nos quidem quando causa effectus quem miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi, nec in re quam miramur est dispositio repugnans effectui quem miramur, secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis:

et ex hoc contingit, quod id quod est uni mirum vel admirabile, non est mirum vel admirabile alteri; sicut sciens virtutem calamitae per doctrinam vel per experimentum, non miratur praedictum effectum, ignorans autem miratur. Secundum se autem aliquid est mirum vel admirabile, cuius causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui qui apparet; et ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula, quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima et remotissima a nostris sensibus est divina, quae in rebus omnibus secretissime operatur (1); et ideo illa quae sola virtute divina fiunt in rebus illis in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula: ea vero quae natura facit, nobis tamen vel alicui nostrum occulta, vel etiam quae Deus facit, nec aliter nata sunt fieri nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira vel mirabilia. (Oq. Disp. Pot. q. 6. a. 2.)

598. *Coroll. I.* — **Miraculi definitio ac divisio.** — Ex dictis patet, miraculum recte sic defini: *Opus sensibilis praeter naturae cursum divinitus patratum.* Pro triplici vero modo quo haec portenta naturae ordinem seu cursum praetergrediuntur, ea dicuntur fieri, vel *supra*, vel *contra*, vel *praeter* naturam, ut distinguit S. Thomas (*loc. cit.* ad 3). Fiunt *supra naturam*, in quantum ipsa forma mi-

racula sunt, non est ad hanc, sed magis est ad hanc, et non est ad hanc, sed magis est ad hanc, et non est ad hanc, sed magis est ad hanc.

(1) Sete hac in re animadvertit cl. D. Palmieri (*Instit. Philos.* Theologia th. L), causam admirationis non esse occultationem existentiae causae: quia immo quam Deus miracula operatur, nihil est magis obvium hominibus causas secundas ignorantibus, quam statim cogitare Deum eique unice asserere phaenomenon. Est itaque causa admirationis occultatio modi dumtaxat quo causa agit: unde B. Thomas *loc. cit.* occultissime dixit, causam occultissimam et remotissimam a nostris sensibus esse divinam, propterea quia in rebus omnibus secretissime operatur: quibus verbis aperte significavit, occultationem quae est causa admirationis, in re praesenti referri non ad causam existentiam, sed ad modum eius agendi.

raculose a Deo inducta, a natura induci non potest; vel absolute, ut forma corporis gloriosi; vel relate ad aliquod subiectum, ut est vita in mortuo. *Contra naturam* fiunt ea ad quae manet contraria dispositio in natura, ut quum in fornace Babylonica tres pueri servabantur incolumes, remanente virtute comburendi in igne. *Praeter naturam* denique miracula patrantur, quum agitur de effectibus quos natura quidem efficere potest, sed non eo modo quo per miraculum produciuntur, vel quia deficient instrumenta quibus natura operatur, ut quum aqua in vinum versa fuit in Cana Galilaeae, vel quantum ad tempus, ut in sanatione instantanea. Hic vero observa cum eodem S. Doctore, quaedam facta eiusmodi dici contra naturam non simpliciter, sed tantum secundum quid. Quum enim nihil magis intimum sit cuique rei, quam ordo ipsius ad primam causam, hinc quidquid Deus operatur in creatura, etsi possit esse contrarium inclinationi ipsius respectu alicuius particularis ordinis, ut si ignis non comburat quae comburere deberet; minime tamen potest esse contrarium inclinationi obedientiali quam unaquaeque creatura habet ad suum factorem. Hinc miracula eiusmodi nequeunt operibus violentis accenseri. Ad rem B. Thomas. * In agentibus etiam corporalibus hoc videtur, quod motus qui sunt in istis inferioribus corporibus ex impressione superiorum, non sunt violenti, neque contra naturam, quamvis non videntur convenientes motui naturali, quem corpus inferius habet secundum proprietatem suae formae: non enim dicimus quod fluxus et refluxus maris sit motus violentus, cum sit ex impressione caelestis corporis; licet naturalis motus aquae sit solum ad unam partem, scilicet ad medium. Multo igitur magis quidquid a Deo fit in qualibet creatura, non potest dici violentum, neque contra naturam. (3. *Cont. Gent. c.* 100.)

599. *Coroll. II.* — **Quorsum spectet miraculorum effectio.** — Patet etiam ex dictis, quis sit proprius miraculorum finis. Certe equidem non ad ipsam ordinem physicum a Deo constitutum referri queunt, quatenus scilicet eiusmodi operibus Deus hunc ordinem conservare vel tueri